



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ordinis || Praemon-||stratensis || Chronicon

Le Mire, Aubert

Coloniae Agrippinae, 1613

Avb. Miræi Dissertatio De Antverpiensis Ecclesiae Origine Ac Progressc, Ad Reverendissimum Dominum D. Ioannem Miraevm, Patrvvm Svvm Colendissimvm, Antverpianae Urbis Mvnvs Episcopale Feliciter ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64313)

A V B. M I R Æ I
DISSERTATIO DE ANT.
VERPIENSIS ECCLESIAE ORIGI-
NE AC PROGRESSV, AD REVE-
rendissimum Dominum

D. IOANNEM MIRÆVM
PATRVVM SVVM COLEN-
DISSIMVM,

ANTVERPIANÆ VRBIS MVNVS
EPISCOPALE FELICITER AV-
spicantem,

Annō CIO. IOCIV. die XXX.
Mensis Maij.



RATVLATIO, quæ be-
neuolentiæ atque officij
significationem cōtinet,
Miræ præsul optimè, re-
prehendi haudquaquam
solet. Certatim itaq; con-
fluentibus ciuibus exterisque, ne in publi-
ca lætitia vnus viderer cessasse, mei item
muneris esse duxi præsto adesse, nouumq;
compellare Antistitem ac salutare. Id ne
rusticè factum videretur, Persarum ritu
accessi, apud quos salutare Principes, nisi
gravi munere dextra, indecorum ac propè

flagi-

flagitium ducebatur. Muneris itaque loco amplissimæ *Antuerpiensis Ecclesiæ* tuæ *Originem ac progressum*, è vetustis sacrisque historijs fideliter petitum adfero. Quod quale id tandem, tibi non ingratum, multis iucundum atque perutile futurum prorsus confido.

B Rabantiæ nostræ tractum *S. Maternus* *D. Petri* Apostoli discipulus, qui *Tungrensi, Colonienfi, & Treuirensi Ecclesijs* præfuit. *S. Martinus* Hasbanorum Apostolus. *S. Amandus. S. Lambertus, S. Hubertus*, alijque *Tungrenses* seu *Traiectenses* Episcopi, primùm *Christianæ Religionis* lumine illustrarunt. At verò proprius *Antuerpiensis Ecclesiæ* Apostolus *S. Eligius* prædicatur, qui *Noviomensis ac Tornacensis* episcopus cum esset, *multum in Flandris laboravit, iugi instantia Andoverpis decertavit*. Id disertè *S. Andoenus* Rotomagensis Antistes, eius æqualis, adfirmat. Floruit autem *Eligius* in Episcopali functione ab anno Christi *10. CXLVII.* ad annum vsque *10. CLX.*

B. Eligij æqualis (si non ætate prior) fuit *S. Humbertus* Episcopus, qui *Maricolense* *Benedictinorum* in *Hannonia* monasterium condidit. Exstant de eo versus per-

antiqui, quos ad D. Michaelis Antuerpiæ
reperitos testatur Ioan. Molanus in Natal.
SS. Belgij:

*Inclyte qui meritis fulges Hüberte coruscis,
Cuius ad exemplū vitæ ac moderamina, quōdā
Barbara doctrinā nacta est Antuerpia Christi,
Te duce cœnobium felix radiat Maricollis.*

Transeo ad S. Villibrordum. Is anno 10.
CXCII. ex Britannia in Galliam transiens
Belgicam pænè vniuersam Apostolico,
more peragrauit. Huic adhuc viuenti Ro-
thingus vir prapotens dedit Ecclesiam in Ant-
verpo castello sitam super Scaldi in pago Rien-
sium, cum villis, appenditijs, & parte tertia te-
lonij eiusdem castelli, quod nunc est marca reg-
ni. Litteris hæc contignauit Theofridus,
Epternacensis apud Lucemburgenses mo-
nasterij à S. Villibrordo exædificati Abbas,
qui Henrico IV. Imp. vitam eiusdem Di-
ui stilo complexus est prolixiore. Eadem
leguntur in tabulis Testamenti S. Villi-
brordi, quæ typis exstant editæ in Caroli
Scribanij Antuerpia. Atque hæc ipsa apud
Antuerpianos basilica hodieque Castren-
sis nūcupatur, estq; S. VValburgæ nūc sacra.

Quæ quidem Virgo S. S. VVillibaldi &
VVunibaldi (qui vnà cum B. VVillibrordo,
Euangelij dilatandi causa, in Galliã è Bri-
tannia venere) germana soror, in eadem

basili-

basilica Deo aliquamdiu traditur seruijsse. Visiturque ibidem etiamnum eius Orationarium; in quo & vetus in pariete inscriptio, eius rei testis, ante furores hosce Iconoclasticos, extitit. Ut nō immeritō Virg. hāc velut patronam domesticā Antwerp. Ecclesia solēni quotannis ritu veneretur.

Sanctis hisce Apostolis iure optimo accensendus est *D. Norbertus*, Præmonstratensis familiæ princeps & antesignanus; ut cui Religionis, à Tanchelino hæresiarcha pœnè oppressæ, instaurationem debeamus. Erat is homo omnium sceleratissimus, Dei & Sacramentorum Ecclesiæ iuratus hostis, qui tribus armatorum millibus stipatus, quos verbis non poterat, vi ferroque suam insententiam pertrahebat. A Clericis itaque, seu Canonicis Antuerpiensibus, in subsidiū cum sodalibus suis vocatus *Norbertus*, ita rem gessit, ut Sacramentariam atque Adamaticam Tanchelini hæresim breui profigarit. Grati ergō Canonici basilicam S. Michaeli Archangelo sacram, quam ipsi numero XII. hætenus possederant *Norbertus*, eiusque sodalibus, cum parte agrorum ac censuum, Burchardo Camer. Episc. approbante an. Chr. CI. C. XXIV. liberaliter cesserunt. Indeque ad ædē B. Virg. eadē in vrbe sitā transeuntes, crescēte populi augētis pietate, eā ipsā

augustissimam, qualis hodie visitur, red-
diderunt.

Cæterùm nobilissimi Antuerpiensis
Canonicorum Collegij auctor habetur in-
uictus ille *Godefridus Bullonius*, qui ex Lo-
tharingæ Duce, & S. Imperij Marchione
(cuius ditionis vrbs primaria hodieque
Antuerpia) primus Hierosolymorum Rex
est renunciatus. Gaudentque etiamnum
Canonici decimis quibusdam ab eodem
liberaliter iam olim acceptis. Sacræ autem
huius suæ militiæ primitias (de quo & me-
ritò gloriemur) optimus hic Princeps Ant-
uerpiæ collegit, primis militibus x i. in
honorem totidem Apostolorum solem-
niter adscriptis. Idemq; abiens S. Michae-
lis Basilicam multis donarijs dotauit, se-
que ac militiam suam eidem Archangelo,
cœlestis militiæ principi, feliciter com-
mendauit.

Huic *Balduinus* frater in regno Hiero-
solomytano successit, qui SS. Christi Do-
mini præputium ex Syria Antuerpiam an-
no .M.CXII. transmisit. In cuius quidem
honorem Sodalitas amplissima è Clero,
Senatu, primarijsque ciuibus iam olim est
conscripta & instituta, multisque priuile-
gijs à Romanis Pontificibus exornata; ho-
dieque in huiusce rei memoriam suppli-

catio

catio solemnis, prima post Pentecosten
Dominica, quotannis celebratur.

Libet & *Alberti illius Magni* hinc memi-
nisse, qui cum Ratisponensis esset Episco-
pus, atque in Belgis fortè versaretur, Do-
minicanum sui Ordinis monasterium, re-
cens in hac vrbe Antuerpiana institutum,
an. CIO. CC XLIV. dedicauit, consecrauit-
que.

Vt ad nostra porrò tempora veniamus,
cum pro maiorum religione aduersus hæ-
reses tuenda, Episcopi per Belgicam plu-
res constituerentur, inter cæteras & Ant-
uerpiensem Ecclesiam ex collegiata Paul-
lus IV. Pontifex Max. CIO. IOLIX fecit Ca-
thedralem. Quod & Pius IV. anno insequē-
te comprobauit, Primus itaque Urbis Ant-
uerpianæ Antistes, à Philippo II. Hisp Re-
ge Belgarumque Principe, *Philippus Nigrius*
Ord. aurei Velleris Cancellarius, est deli-
gnatus. Qui morte præuentus, cum pro-
uinciam non adijisset, *Franciscus Sonnius* ex
Doctore Theologo Louaniensi Episcopus
Siluiducensis, an. CIO. ICLXX. primus huius
Urbis munus obiit Episcopale. Huic *Laui-
nus Torrentius*, Archidiaconus & Ernesti
Bauari Leodicensis Antistitis Vicarius
Generalis, est succenturiatus, *Torrentium*
Guilielmus à Bergis, ex Baronibus Grimber

ganis oriundus, excepit: Quo ad Archiepiscopalem Cameracenæ vrbis dignitatem euocato, Tibi, *Miræ* Antistes optime, ab *Alberto* Austriaco Serenissimo Belgarum Principe, nec opinanti, imò & repudianti hic delatus est Episcopatus. Sic nimirum Aaron, sic Apostoli, sic eorum successores Nicolai, Athanasij, Basilij, Chrysostomi, Ambrosij, Gregorij, alijque plurimi nihil tale ambientes, nedum cogitantes ad summas Cathedras ac dignitates diuinitus sunt euecti. Quorum vt vestigijs, Præsul optime, fortiter insistas, Deum venerans precor, tibi que ac Reip. Spartam hanc salutarem opto ac voueo.

